HOC RECIPIT NEMO NISI DIGNUS

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE JUREJURANDO LITIS DECISORIO.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS JACOBI RAU,

MEDICINÆ DOCTORIS EJUSQUE ET ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS *Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis* JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JACOB OCKERSSE, Zirizæa Zelandus.

Ad diem 27. *Julii* 1718. *horâ locoque solitis.*

HONOR EST PRÆMIUM CUJUSQUE VIRTUTIS.

TEMPLUM VIR

L. BAT. apud JOH. ARNOLD LANGERAK.

Nobilissimis, Spectatissimis & Amplissimis
VIRIS.

D. WILHELMO OCKERSSE.

J. U. D. CIVITATIS ZIRIZÆANÆ EXCONSULI, &c. PATRI SUO OPTIMO, FIALI AMORE ET OBSEQUIO AD ROGUM USQUE COLENDO, VENERANDOQUE.

D. CORNELIO C. OCKERSSE,

J. U. D. CIVITATIS ZIRIZÆANÆ EXCONSULI, SCABINO, AC SENATORI &c.

D. ADRIANO OCKERSSE,

EJUSDEM CIVITATIS CAMERÆ PUPILLARIS QUONDAM ASSESSORI, &c.

D. JOANNI CORNELIO OCKERSSE,

INTER PRÆFECTOS CLASSIUM ZELANDICOS LOCUM TERTIUM TENENTI, NOBIS VULGO. Schout by Nagt. PATRUIS SUIS PLURIMUM HONORANDIS, ÆSTIMANDISQUE.

D. WILHELMO vanden BROECK, J.U.D. TOPARCHÆ DE VRYHOEVEN. CURIÆ SUPREMÆ, QUÆ HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ, FRISIÆQUE NOMINE HAGÆ BATAVORUM EST, SENATORI. AVUNCULO DEBITO HONORE ET OBSERVANTIA SEMPER COLENDO PROSEQUENDOQUE.

Hasce studiorum suorum primitias, seque ipsum eâ, quæ par est reverentia & Obsequio.

D. D. D.


JACOB OCKERSSE.



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE JUREJURANDO LITIS DECISORIO.

Caput Primum.

De Jurisjurandi Etymologia & Definitione.



DIſceptaturus pro ſolenni Academiæ more dubius diu hæſi, quamnam ex vaſto juris Oceano eligerem Materiam; tandem illa de Jurejurando litis Deciſorio maxime arriſit, cujus utilitem & præſtantiam in litibus decidendis prædicare velle eſſet oleum & operam perdere; in universum tanta enim jurisjurandi apud Veteres fuit Veneratio, ut Cicero *lib.3. d. offic.* teſtetur; *Nul-*

lum vinculum ad adstringendam fidem Jurejurando Majores arctius esse voluerunt; id indicant Leges XII *Tabb. indicant Sacra, indicant Fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant Notationes, Animadversionesque Censorum, qui nulla de re diligentius, quam de Jurejurando judicabant.* & Livius *lib.* I. *Histor. cap.* 21. docet *quod tempore Numæ Fides ac Jusjurandum regebant Civitatem.* sed antequam ad rem ipsam pervenio, pauca mihi præmittenda videntur.

Et primum est, ut videamus, unde Jusjurandum dicatur, & deinde quid illud sit. *Juri enim operam daturum*, ait JCtus, *prius nosse oportet, unde nomen juris descendat. l.* 1. *ff. d. just. & jure.* sunt igitur, qui dictum volunt quasi *Jovis jurandum*, quia per summum numen est concipiendum, quo respicit illud *Ennii apud Cic. lib.* 3. *d. offic.*

O alma fides, apta pinnis, & jusjurandum Jovis.

Alii deducunt à *jus* & *juro*, quia de eo, quod justum est, tantum jurari debet, habet enim hos tres Comites, Veritatem, Justitiam & judicium. Zoesius *ad Pand. n.* 10. pro eodem dici juramentum uno, alteroque loco in Pandectis occurrit *l.* 34. §. 5. *ff. h. t. l.* 25. §. 3. *ff. d. probat.* quod venit à *juro* tantum, & posterioris ævi Scriptoribus admodum est frequens. *l.* 1. *in pr. l.* 2. §. 2. *C. d. jurej. propter calum. dando.* etiam appellatur sacramentum. *l.* 11. 12. 13. *C. h. t.*

Viso itaque jurisjurandi Etymo, nunc quid illud sit, videndum; definit illud Cicero *lib.* 3. *d. offic.* Quod *sit Religiosa affirmatio adhibito Deo teste.* alii aliter, Nos vero sic definiemus. *Jusjurandum est Religiosa Asseveratio, quæ fit Deo teste, cum exsecratione, nostri si fallamus.* Dixi, *Religiosa Asseveratio.* h. e. veritatis affirmatio, aut negatio contemplatione & respectu Divini Numinis facta, quo venerationem, & metum juranti injici dubium non est. *Quæ fit Deo teste.* quod indicat jusjurandum per solum Omnipotentem Deum, qui Cordis Arcana & cogitationes penetrat, posse fieri, ut veritatis sit testis, & perfidiæ vindex. *Deut.* 6. v. 13. *Exod.* 22. v. 11. *Jesaia cap.* 65. v. 16. per creata igitur juran-

jurandum omnino non eſt, ne honor ſoli Deo debitus illis attribatur. *Matth. cap.* 5. v. 34. *& ſeqq.* jure tamen veteri per genium & ſalutem Principis jurare conceſſum fuit *l.* 13. §. *ult. ff. h. t. l.* 3. *in fin. &* 4. 5. *ff. eod.* cum qui ita jurat, reſpectu divini Numinis juraſſe credatur. *l.* 33. *ff. h. t.* ſic etiam valet jusjurandum ſuperſtitioſe factum, cum ita jurans nihilominus per ſuum Deum juret *l.* 5. *in pr. &* §. 1. *ff. h. t.* Improbatæ vero Religionis jusjurandum habetur pro eo, ac ſi juratum non eſſet. *d. l.* 5. §. 3. *ff. eod.* Recte quoque juratur tactis Sanctis Euangeliis, quod vocatur jusjurandum Corporale. *Nov.* 74. *cap.* 5. *Nov.* 124. *cap.* 1. eodem modo ac olim tactis aris. Virg. *Eneid.* 12. v. 201. ſed hæc parum faciunt ad rem, & ſufficit aliquem ſolummodo per Deum jurare.

Altera pars Jurisjurandi eſt *exſecratio Noſtri, ſi fallamus.* quâ jurans ſe, ſuamque æternam ſalutem Dei omnipotentis iræ atque vindictæ devovet & ſubjicit, ſi ſciens fallat; quæ exſecratio ſui licet ſub jurejurando tacite contineatur, nihilominus, ut major juranti injiciatur Religio, claris & apertis verbis eſt exprimenda; eodem modo ac olim per Jovem Lapidem jurans dicebat: *ſi ſciens fallo, tum me Dieſpiter, urbe, arceque ſalvâ, ita bonis ejiciat, ut ego hunc Lapidem.* vide etiam Scipionis jusjurandum apud Liv. *lib.* 22. *Cap.* 53. ſic etiam apus Nos *ita me Deus juvet.* hiſce itaque ſatis liquet non temere eſſe jurandum, nec de re niſi majoris momenti, & quam probe cognitam habemus, ſi enim in perjurium abiit, dubium non eſt, quin Deus Acerrimus ejus futurus ſit vindex.

Notandum etiam eſt, multa ae varia Jurisjurandi olim fuiſſe genera & formulas, ut quod fiebat *per Jovem Lapidem*, ut teſtatur A. Gellius *Noct. Attic. lib.* 1. *cap.* 21. *per Superos, per genium & Salutem Principis, per ſuam, Liberorumque Salutem & Caput. l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* Briſſonius *de Formulis lib.* 8. *in pr.* qui quam plurimas ibi enarrat Formulas, de quibus ſingulatim agere hujus non eſt loci, quoniam brevitati ſtudere eſt animus.

Quæri in ingreſſu hujus Materiæ ſolet, an Jusjurandum Chriſtiano quidem ſit licitum? Quod videtur affirmandum nihil obſtante objectione ex Matth. *cap.* 5. ubi ſic legitur, *ne*

ju-

jura omnino, & paulo infra, *sed sit sermo vester, est, est, non, non.* Quorum verborum, uti & tertii Præcepti Decalogi sensum absque dubio perperam intelligunt, cum ibi non agatur de Jurisjurandi prohibitione in totum, sed ejus præstandi facilitate & frequentia etiam in caussis minimis, & sermone quotidiano, quod merito ibi vetatur; alias illud esse licitum apparet ex plurimis S Scripturæ locis, ubi Deus ipse sæpius per se jurat, ut *Genes. cap.* 22. v. 16. *Jerem. cap.* 22. v. 5. *Deut. cap.* 6. v. 13. ubi Deus ipse jurandi formulam præscribit, & sexcentis aliis locis, quibus ejus fit mentio, sic etiam Paulus *ad Hebr. cap.* 6. v. 16. vocat *juramentum omnis controversiæ finem.*

Caput Secundum.

De Jurisjurandi Divisionibus.

Expositâ itaque Jurisjurandi definitione ordo postulat, ut ad ejus divisiones transeam; & primo illud dividitur in *Promissorium* & *Assertorium.*

Promissorium est, quod futura negotia concernit, ut iis major firmitas accedat. quod præstant Tutores, & Curatores in ingressu officii, *Nov.* 72. *cap. ult.* & *Auth. quod nunc C. d. curat. fur.* etiam subjecti suo Principi, quod vocatur Homagium: judices & Advocati. *l.* 14. *C. d. judic.* Milites, qui præstant sacramentum Militare *l.* 11. *ff. d. testam. milit.* cæterum hoc jusjurandum adjicitur quoque pactis & conventionibus, & habet vim pacti, cui sæpius comparatur. *l.* 35. §. 1. *ff. h. t. l.* 95. §. 4. *ff. d. solut. & liberat. l.* 11. §. 1. *ff. d. injur. l.* 7. §. 16. *ff. de pact.* Pactum autem jure civili non parere Actionem certum est. *l.* 7. §. 4. *ff. d. pact.* ergo nec hoc jusjurandum alteri negotio adjectum ex se ipso Actionem producit, licet aliter obtineat jure Canonum. *Cap. cum contingat* 28. *extra h. t.* quid igitur dicendum? sequitur naturam contractus, & negotii sui naturâ validi, cui adjicitur, estque illiustantum adjectitia qualitas. *l. ult. C. d. non numer.*

mer. pecun. *l.* 13. §. 3. *&* 4. *ff. h. tt* nec obstat §. 11. *instit. d. Act.* ubi Prætor juranti justissime dicitur accommodare Actionem, si ei non solvatur. Resp. hanc non ex pactione, sed quasi ex debiti petiti confessione nasci: Boekelm. *d. Act. cap.* 3. *pars.* 9. *n.* 10. & Cl. Ulr. Huberus. *Eunom. Rom. ad lib.* 2. *Pand. p.* 113. Nec turbat, quod aliter obtineat in jurejurando Liberti operas & Munera patrono pollicentis, quo casu inde verborum nascitur Obligatio, & per consequens Actio. *l.* 13. *ff. d. accept. junct. l.* 8. §. 3. *eod.* vide Bachov. in Treutl. *Disp.* XXI. *Thes.* 2. *lit.* A. Resp. hoc esse singulare in liberto, qui etiam ante jusjurandum ob inæstimabile libertatis beneficium Patrono ad illa naturaliter obstrictus fuit: Caji *instit. lib.* 2. *tit.* 9. §. 4. *l. ult. ff. d liberali causa.* Sed quid si negotio per se invalido adjiciatur, an illud confirmet quæstio est elegans; quod negatur. *l.* 7. §. 16. *ff. d. pact. l.* 5. *in fin. C. d. legib. v.* Arn. Vinnium *in Tract. spec. d. Pact. cap.* 18. *n. ult.* sic de jure civili; quamquam aliud jure Canonico obtinere videatur: *cap.* 28. x. *d. jurej.* quod vult jusjurandum servari, quatenus sine dispendio æternæ salutis servari potest.

Assertorium est, quod præsentia vel præterita in primis respicit negotia. quod veritatis confirmandæ, vel litis decidendæ gratia comparatum est, & hoc posterius vel à partibus invicem, vel à judice deferri potest, & dividitur in *Voluntarium*, *Necessarium*, & *Judiciale*. Quorum vocabulorum sensus satis constat, sed diversimode à DD. usurpantur; vocantibus quibusdam hoc *Judiciale*, quod alii *Necessarium* appellant; sic etiam Nos illud dicemus *Necessarium*, quod aliis est *Judiciale*, quoniam hoc ante judicium cœptum deferri potest etiam invitis, & ita vocabulum *Necessarii* ei melius congruet. *arg. l.* 34. §. 6. *ff. h. t.* ibi *cogam.* Nunc consequens videtur, ut de his singulis paulo dispiciamus accuratius.

Voluntarium igitur *illud jusjurandum*, quod à liberâ voluntate partium dependet, *est*, *quod pars parti defert extra judicium per modum conventionis*, *vel transactionis.* primo igitur jusjurandum deferri debet, antequam præstetur, alias nihili est, *l.* 3 *ff. h. t.* dein eâdem, quâ delatum est, forma est præstandum: *arg. l.* 3.

§. *ult. & seq. ff. h. t. l.* 33. *ff. eod.* Præstatur ergo illud prævia conventione, adeoque referri non poteſt. *l.* 17. *ff. h. t.* & nisi præstitum sit, vel remissum, nullus ejus est effectus. *l.* 5. §. *ult. ff. h. t.* sin præstitum sit, habet speciem transactionis, majoremque auctoritatem, quam res judicata. *l.* 2. *ff. h. t.* & quemadmodum transactio, sic nec illud retractari debet. *l.* 31. *in fin. ff. h. t. l.* 19. & 29. *C. d. transact.* Quod jusjurandum hodie apud Nos ab usu recessisse, omniaque juramenta facta esse judicialia notat Gronew. *d. ll. abrog. ad l.* 28. §. *ult. ff. h. t.*

Sequitur nunc Necessarium, (aliis, ut supra monui, dictum Judiciale) quod vocabulum rei est magis congruum, quia hoc jusjurandum delatum *necessario* est præstandum vel referendum: *l.* 38. *ff. h. t.* *Necessarium* ergo *jusjurandum est, quod pars parti defert, vel refert in judicio accedente interlocutoriâ judicis sententiâ. l.* 12. §. 1. *C. h. t.* quod Compendii litium gratia, & æquitatis ratione inductum ait Paulus *lib. sent.* 2. *tit.* 1. Nec interest, utrum ante, an post litem contestatam usque ad sententiam interponatur. *l.* 12. *in pr. C. h. t.* Actorve jam aliquid probaverit, nec ne. *l.* 35. *in pr. ff. h. t. l.* 25. §. *pen. ff. d. probat. l. fin. C. d. fideicom. l. ult.* §. 10. *C. d. jure delib.* Fachineus *contr. jur. lib.* 1. *cap.* 19 & 20. Manifestæ enim turpitudinis est, illum, cui jurisjurandi conditio defertur, quo fit testis & judex in propria causâ, nolle jurare, aut referre: *d. l. ult. C. fideicom. l.* 9. *C. h. t. l.* 38. *ff. eod.* Nec ei jurisjurandi delatione fit injuria, cum, si lubet, hoc referre possit. *l.* 34. *in pr. ff. h. t.* Obstat *l.* 4. *C. t. edendo.* ubi dicitur Actore nihil probante reus esse absolvendus. Resp. illum, qui adversario jusjurandum defert, non eo petere probationes sibi fieri, sed potius adversarium in propria causâ facere judicem, & magis esse, ut jurejurando deferendo omnis probationis necessitas evitetur. *l.* 1. *ff. quar. rer. act. non datur.* Cæterum hoc jusjurandum utrum ab Actore an Reo deferatur, nil refert. *arg. l.* 41. *ff. d. R. J.* præstito tantum prius jurejurando Calumniæ, se non calumniandi animo hoc facere. *l.* 25. §. 3. *ff. d. probat. l.* 34. §. 4. & 37. *ff. h. t. l.* 9. *C. eod.* quod deferens modo, non etiam referens facere compellitur. *l.* 34. §. 7. *ff. h. t.* Quod etiam Parentibus, Patronisque, si

ſi liberi vel liberti jusjurandum deferant, ob debitum illis honorem & reverentiam remittitur. *l.* 7. §. 3. *ff. d. obſeq. par. & patr. præſt.* adeoque in *l.* 34. §. 4. *ff. h. t.* pro *neque patrono, neque parentibus* legendum eſt *æque patrono, atque parentibus remittitur.*

Jusjurandum Judiciale dictum ab eo, quod ſemper à judice in judicio defertur, *eſt*, *quod judex ob inopiam probationum in cauſſis dubiis alterutri litigantium defert. l.* 31. *ff. h. t. l.* 3. *C. eod.* Quod ut habeat locum, requiruntur hæc tria, *Probationum inopia*, *Res dubia*, & *cauſſæ cognitio. d. l.* 3. *C. h. t. Probationes* quod attinet, ut non ſint *plenæ*, cum hoc caſu Actoris intentioni ſtandum eſſet, ſed *minus quam plenæ*, & ad ſententiam ferendam nimis infirmæ, oportet. Secundo, ut *res* ſit *dubia*, requiritur, qualem non intelligimus, quando probationes utrimque ſunt pares, quo caſu Actoris probationes nullæ, utpote exceptionibus eliſæ, & Reus abſolvendus videtur. *l.* 4. *C. d. edendo*: *arg. l.* 9. *C. d. except. l.* 47. *ff. d. O. & Act.* ſed tunc, quando judex ob probationes minus plenas, ac infirmas ſententiam ferre nequiens alterutri partium jusjurandum deferre tenetur, v. g. prolato uno teſte omni exceptione majori, quem licet præclaro Curiæ honore præfulgeat, in jure non facere plenam probationem certum eſt, *l.* 9. §. 1. *C. d. probat.* ſed ſi aliis argumentis adjuvetur, aliquando plenæ probationis effectum habere poterit, cum hoc à jure noſtro non ſit alienum, ut illa, quæ ſingula per ſe non ſatis ſunt valida, aliunde adjuta vires plenas capiant; at ſi hæc omnia non ſufficiant, nec judex ſalvâ conſcientiâ ſententiam ferre poſſit, locus erit jurijurando *l.* 31. *ff. h. t. l.* 3. *l.* 9. *C. h. t.* Aliis vero unus teſtis omni exceptione major hic ſufficere videtur: vide Arn. Vinnium: *Sel. Quæſt. lib.* 1. *cap.* 44. Tertium adhuc reſtat requiſitum, ut jusjurandum â judice *cauſſa cognita* deferatur. *l.* 3. *C. h. t.* ad id, ut diſpiciat, actori an Reo jusjurandum deferendum ſit, quod præciſe definiri non poteſt, ſed providi & circumſpecti Judicis judicio pro rerum, Perſonarum, ac probationum magis, minusve firmarum, præſumptionumque hinc inde militantium circumſtantiis relinquendum eſt. In primis vero curandum eſt,

ne temere deferatur, *ne*, ut alio fenfu Horat. dicit

Deus interfit, nifi dignus vindice nodus
- - - Inciderit.

Adde, quod *faciles funt*, ut notat JCtus in *l. 8. ff. d. condit. inftit. Nonnulli hominum ad jurandum contemptu Religionis, alii perquam timidi metu divini Numinis ufque ad fuperftitionem.* & fic unus fæpe alterius temeritate damnum fentiret. Præterea illud jusjurandum non poffe referri, neque à judice, cujus ex officio defcendit, remitti recte notat Arn. Vinnius *Sel. Quæft. lib. 1. cap. 43.* Quod etiam judex alterutro vel utroque invito deferre poteft, & quidem poft conclufionem in cauffa; Voet. *comm. ad Pand. n. 29. h. t.* & Fachineus *contr. jur. lib. 1. cap. 16.* atque ita nunc Reo, fi gravis contra eum militet præfumtio, nunc Actori, fi plene intentionem fuam probare non poffit, jusjurandum defertur, & hinc DD. Jurisjurandi in *Suppletorium* & *Purgatorium* nafcitur divifio.

Suppletorium inde dictum, quod probationum inopiam fupplet, *eft, quod judex defert ei, qui femiplene, vel faltem non plene probavit, cum illa probatio non effet per præfumptiones elifa.* & illud quidem præcipue in hunc finem defertur, ut Actor infirmas intentionis fuæ probationes eo fuppleat, aut Reus exceptionis fuæ probationem firmet; cui tantum in Civilibus, non etiam Criminalibus cauffis eft locus, ob metum perjurii, cum hoc cuique fere innatum videatur, ut qualiter, qualiter fanguinem fuum & corpus redemptum velit; præterea quod in illis requirantur probationes luce meridianâ clariores. *l. ult. C. d. probat.* quas condemnationem & pænam fequi neceffe eft, *l. 16. C. d. pænis.* Fachineus *contr. jur. lib. 1. cap. 15.* cafus etiam alios, quibus jusjurandum fuppletorium deferri non debeat, recenfet Cl. Voet *comm. ad Pand. n. 29. in fin. h. t.*

Purgatorium, quo Reus præfumptiones contra eum militantes purgat, *eft, quod judex defert illi, contra quem nonnullæ leviores militant probationes, ut fe ab iis liberet.* in quo jusjurandum calumniæ non præftari notandum eft, quia à Judice, à quo illud

lud defertur, calumnia metui non debet. Talia juramenta hodie etiam in usu esse notat Ulr. Huberus *in comm. ad Pand. n.* 13.

Caput Tertium.

Qui possunt Jusjurandum deferre, & Quibus defertur.

JUsjurandum recte deferunt omnes, qui natura, aut Lege non prohibentur. (1) deferunt illud omnes liberam rerum suarum administrationem, & per consequens alienationem habentes, adeoque Domini, alias enim obstaret exceptio, quod deferens rerum suarum administrationem non habuisset. *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.* (2) Tutores & Curatores deficientibus aliis probationibus *l.* 35. *ff. h. t. l.* 17. §. 2. *ff. eod.* & quidem sine decreto, quando lis est tantum de rebus sine decreto alienari non prohibitis, alias non nisi impetrato Prætoris Decreto recte jusjurandum defertur exemplo transactionum, quarum vicem jusjurandum obtinet *l.* 2. *ff. h. t. arg. l.* 4. *C. d. præd. & aliis reb. minor.* (3) Procuratores speciale ad id mandatum habentes, vel in rem suam constituti, immo & generales *l.* 17. §. *ult. ff. h. t.* sed si ille, cui simpliciter est mandatum, ut peteret, jusjurandum detulerit, nil egit. *l.* 18. & 19. *ff. h. t.* (4) Jusjurandum deferunt Defensores civitatum & collegiorum, si ad id mandatum habeant. *l.* 34. §. 1. *ff. h. t.* Prohibentur vero hoc deferre (1) Pupilli sine Tutoris auctoritate *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.* Cum hoc sæpe nimis magni foret præjudicii, præstito enim jurejurando tota amittitur caussa, quod Minoribus Curatore, videlicet, carentibus tamen concessum est salvo restitutionis beneficio, quando se læsos probant. *l.* 9. §. 4. *ff. h. t.* (2) Prodigi, similesque. *l.* 35. §. 1. *ff. h. t.* (3) servi, & filiifamilias, nisi habeant liberam peculii administrationem, quo casu pater vel

Dominus peculio tenus ex jurejurando tenebitur. *l.* 5. §. 2. *ff. d. pecul* *l.* 20, 21, & 22. *ff. h. t.* (4) etiam illi, qui cum tempus exceptionis non numeratæ pecuniæ præterlabi passi sunt, jusjurandum postea non recte deferunt *l.* 14. §. 3. *C. de non numerat pecun.* & generaliter ex quibus Caussis quis non tenetur accipere judicium, ex iisdem jurare non compellitur *l.* 28. §. 2. *ff. d. judic.* & ibi J. Brunnemannus *in comm. ad Pand.* (5) Prohibentur quoque necessarium jusjurandum deferre, qui illud delatum, necdum præstitum probationibus confisi revocarunt, si postea hoc iterum deferre volunt. *l.* 11. *C. h. t.* Quos moribus nostris impetrato restitutionis auxilio ad jurisjurandi delationem admitti notat Gronewegen. *d. ll. abrog ad d. l.* 11. *C. h. t.*

Jusjurandum defertur omnibus cujuscunque sexus, ætatis, & conditionis *l.* 26. *ff. h. t.* adeoque Pupillis, qui proprie non pejerant, quia scientes non fallunt, *d. l.* 26. *ff h. t.* Servis, Defensoribus, Procuratoribus, heredibusque de Domini aut defuncti facto. *l.* 23. *&. seq.* *l.* 9. §. 6. *ff. h. t.* Quæstio vero haud ignobilis hic incidit, an Jure Civili Procurator recte jusjurandum præstet in animam Domini? Quod Jus Civile attinet, an eo sit comprobatum, merito dubitari potest, cum nullibi in illo ejus fiat mentio, & male à Quibusdam pro eo allegatur. *l.* 9 §. *pen. ff. h. t.* ibi enim non dicitur aliquis in alterius animam jurare, sed Procurator vel defensor simpliciter Domino deberi jurat, quem suo nomine propter jusjurandum agere clare docet *l.* 39. §. 1. *ff. procur.* & ibi Domino per procuratorem non directa, sed utilis tantum acquiritur Actio, de qua intelligi potest. *d. l.* 9. §. 6. *ff. h. t.* obstat. *l.* 13. §. 13. *ff. d. damno infect.* Resp.; aliud esse suo nomine jurare de facto alieno, aliud jurare in animam alterius. Illud autem jure Canonum receptum esse dubium non est. *cap.* 1. X. *d. jurej. calum.* Nec Ratio aut natura obstat, cum homo hominis sæpius sit instrumentum, & unus per alterum animi sui sensa recte declaret, quod etiam in jurejurando admitti posse videtur, ita tamen, ut perjurii pœna non maneat jurantem, sed illum, in cujus animam juratur, qualejurisjurandi genus olim non ignotum fuisse patet ex Livio *Lib. Hist.*

31.

31. *in fin.* ubi extat Plebiſcitum, quo frater pro fratre ad jusjurandum admiſſus eſt. Sed redeamus iterum ad rem, viſis itaque Procuratoribus, Defenſoribus, heredibusque, notandum nunc quoque eſt, Fidejuſſoris jusjurandum prodeſſe reo, & vice verſa. *l.* 28. §. 1. *&* *l. ult.* §. *pen. ff. h. t.* Quos tamen invitos ad jusjurandum compelli non poſſe ſciendum eſt *l.* 34. §. 2 *&* 3. *ff. h. t.* quum juſtam ignorantiæ cauſſam ſemper allegare poſſint: & iniquum ſit aliquem ſuo nomine de facto alieno jurare cogi. *l.* 42. *ff. d. R. I. l.* 11. §. 2. *ff. d. Act. rer. amot.* ſi tamen ſervi aut filiifamilias juraverint, utilem inde Domino vel Patri naſci Actionem, aut exceptionem dubium non eſt, cum hoc ſibi, qui talibus jusjurandum deferunt, imputare debeant *l.* 23. *&* 24. *ff. h. t.* ſic etiam Tutoribus, heredibuſque jusjurandum ſuper rebus defuncti, vel pupilli deferri poſſe videtur, nempe ad id, ut jurent, quid ſibi de iis compertum ſit. Quin etiam Illuſtres, morboque impediti jusjurandum præſtant, ſed in domo ſuâ miſſo ad illos Tabulario, aliove cum adverſa parte. *l.* 15. *ff. h. t. l.* 2. §. 1. *C. d. jurej. propter calum. dando. Nov.* 124. *cap.* 1. Recte quoque illud defertur Clericis. *Nov.* 137. *cap.* 2. Antiquitus vero Sacerdotes Veſtales & Flaminem Dialem ad jusjurandum cogi non potuiſſe perpetuo Prætoris edicto cautum fuit. teſte. A. Gellio *Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 15. *&* Seneca *Contr.* 8. *lib.* 6. *Sacerdos veſtalis raro juret, nec umquam niſi per ſuam veſtam.*

Caput Quartum.

Quibus in Cauſſis defertur Jusjuramdum, & ob quas Cauſſas recuſari poteſt.

Quod attinet res, de quibus juratur, ut ſint licitæ, juſtæ, graves neceſſe eſt, quoniam jusjurandum de re Jure Civili,

vili, aut Naturali illicitâ delatum Leges volunt esse nullum. *l.* 7. §. 16. *ff. d. pact. l.* 5. *in fin. C. d. legib. l.* 112. §. *pen. & ult. ff. d. legat.* 1. ne juramenta sint iniquitatis vincula, & ita turpibus factis aperiatur fenestra. Defertur igitur jusjurandum in omnibus Actionibus Civilibus, sive personalibus, sive realibus, rei persecutoriis, aut pœnalibus *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* etiam in caussis famosis. *l.* 9. §. 2. *l.* 28. §. 5. *& seqq. h. t. l.* 13. § 2. *ff. eod.* etiam in Actione rerum amotarum. *l.* 11. §. 1. *ff. d. act. rer. amot.* Quin immo in Popularibus Actionibus *l.* 30. §. 3. *ff. h. t.* Nec non in Quæstione, an mulier prægnans sit, ut ventris nomine in possessionem mittatur, quando se prægnantem jurat. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t. l.* 10. *ff. d. edict. Carb.* In Criminalibus vero corpori pœnam infligentibus non est admissum, cum ibi probationes certæ, & luce meridiana clariores requirantur. *l. ult. C. d. probat.* Ant. Matthæus *d. criminib. lib.* 48. *tit.* 15. *cap.* 7. *n.* 1. Secus ac obtinet, si ad pænam pecuniariam agatur. *l.* 13. §. 2. *ff. h. t.* ad quam actio injuriarum etiam tetendisse videtur *in l.* 5. §. 8. *& l.* 11. §. 1. *ff. d. injur.*

Quamquam jusjurandum Necessarium regulariter est præstandum vel referendum, excipiuntur tamen quidam casus, & caussæ, ob quas jure recusari potest. (1) Si hoc deferatur à Prodigo, quem non habere rerum suarum administrationem certum est. *l.* 35. §. 1. *ff. h. t.* adeoque pacisci aut contrahere ad hunc effectum, ut inde obligetur, prodigus nequit. *l.* 6. *ff. d. V. O. junct. l.* 40. *ff. d. R. J.* (2) Si deferatur Pupillis invitis. *l.* 34. §. 2. *ff. h. t.* (3) Si quis intentionem, super quâ defertur jusjurandum, jam plene testibus, instrumentisque probavit, cum jusjurandum subsidiarius sit tantum intentionis implendæ modus. (4) Si jusjurandum refertur de proprio adversarii facto, cujus is tantum est conscius, cui defertur. *arg. l.* 11. §. 2. *ff. d. act. rer. amot.* Fachineus *contr. jur. lib.* 1. *cap.* 21. (5) Si deferens prius de calumnia jurare nolit. *l.* 34. §. 4. *ff. h. t.* quo casu deferens causa cadit, *l.* 37. *ff. h. t.* (6) Si quis delatum jusjurandum novis confisus probationibus revocaverit, & post illud iterum deferre voluerit. *l.* 11. *C. h. t.* (7) Si is, qui detulit, non habuerit deferendi facultatem *l.* 35. §. 1. *ff. h. t.* (8) Si deferatur

ratur in loco, ubi jurans competens forum non sortiebatur. *l.* 35. §. *ult. ff. h. t.* (9) Recte quoque improbatæ Religionis juramentum recusatur *l.* 5. §. 3. *ff. h. t.* etiam quod directo Legibus & bonis moribus adversatur. *l.* 5. §. 1. *C. d. Legib. l:* 112. §. *ult. ff. d. legat.* 1. (10) Cum defertur in caussa Criminali, de quo supra.

Hac occasione etiam quæri solet, an jusjurandum ob metum, ne perjurium detegatur, puta, si actor per testes & instrumenta intentionem suam probare cœperit, & postea ab illis desistens jusjurandum detulerit, recte recusari possit? Quod cum Cujacio, *lib.* 22. *observ. cap.* 28. & Fachineo *contr. lib.* 1. *cap.* 22. aliisque negandum videtur; nec turbat *cap. fin.* x. *h. t.* ubi dicitur *Actore in probatione deficiente Reus (etsi nihil præstitit) esse absolvendus.* Resp. in nostro casu Actorem Probationibus non plane fuisse destitutum, quia ab illis destitit, sed verius esse, ut iis diffidens, testiumque suorum falsitatem detegi metuens jurejurando caussam potius decidi, quam anceps probandi onus subire voluerit, nec ideo statim perjurium metuendum est; neque est, quod Reus hoc casu juste queratur, cui jurisjurandi præstandi, aut referendi conditio defertur *l.* 34. *in pr. ff. h. t. l.* 9. *C. eod.* cum manifestæ turpitudinis sit neque jurare, neque referre velle *l.* 38. *ff. h. t.*

Caput Quintum.

De Effectu Jurisjurandi Litis Decisorii.

Præstiti itaque Jurisjurandi saltem voluntarii effectus est, ut habeat speciem transactionis *l.* 2. *ff. h. t.* sitque loco interdum solutionis. *l.* 27. *ff. h. t.* adeo ut si præstitum sit à Reo, prosit Fidejussori vel contra. *l.* 28. §. 1. *l. ult. ff. h. t.* modo Fidejussor contemplatione rei, & non sui ipsius juraverit. *l.* 1. *ff. quar. rer. act. non datur.* habet etiam majorem Auctoritatem, quam res judicata. *d. l.* 2. *ff. h. t.* à re enim judicata, & sententiâ appellari potest, sed à jurejurando ex conventione partium

delato non æque; de quo infra. Cæterum jurisjurandi voluntarii, aut necessarii ante litem contestatam præstiti, sive remissi quod idem est *l.* 8. *C. h. t.* effectus est, ut Reo pariat exceptionem sive in Actione rem, sive in personam, §. 4. *instit. d. except. l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* Actori vero in factum actionem ex jurejurando, *l.* 11. §. 1. *ff. h. t.* quæ adjectitia qualitas est alterius Actionis, & semper in personam, cum ex quadam conventione nasci videatur. *l.* 25. & 26. §. *ult. ff. h. t.* ac proinde, etsi occasione Actionis in rem juratum sit, tamen non contra quoscunque rei possessores, quæ est natura Actionis in rem, sed contra illos, inter quos juratum est, competit. *l.* 9. *in fin.* & *seqq. ff. h. t. l.* 7. §. 7. *d. publ. in rem. Act. l.* 3. §. 3. *in fin. l.* 10. *ff. h. t.* nec solet hoc jusjurandum ad alia negotia extendi, quam de quibus est juratum. *l.* 28. §. 5. *ff. h. t.* adeoque strictam recipit interpretationem. *d. l.* 28. §. 7. *ff. eod.* ubi dicitur in fine! *& omnino hoc observandum est, licet per aliam Actionem eadem quæstio moveatur, ut exceptio jurisjurandi locum habeat.* Quamvis igitur plures ejusdem rei nomine, & ad idem tendentes Actiones competunt, unâ intentatâ, & jurisjurandi exceptione illisâ, reliquæ nihil operabuntur *d. l.* 28. §. 4. 6. 8. *ff. h. t. l.* 11. *in pr.* & §. 1. *l.* 36. *ff. eod.* estque Actionis (ut supra monui) ante competentis adjectitia modo qualitas, sic ut pristinam actionem non novet, neque tollat, sed potius ei accedat *l.* 25. §. 1. *ff. d. constit. pecun. d. l.* 7. §. 7. *ff. d. publ. in rem. Act. l.* 13. §. 3. & 4 *ff. h. t.* ita ut in *l.* 26. §. *ult. ff. h. t.* improprie dicatur jurisjurandi conditio esse species novationis, quod obscure & dubie JCtus indicare videtur; & datur tantum hæc Actio in simplum, quamvis actio principalis inficiando crescat in duplum. *l.* 30. *ff. h. t.* ad quam Gronewegen *d. ll. abrog.* notat hodie nullam Actionem inficiatione crescere in duplum; sed quid si ad Necessarium jusjurandum accedat Judicis sententia, uti plærumque fit *l.* 34. §. *ult. ff. h. t.* datur tunc rei judicatæ actio. *l.* 8. *C. h. t.* eo quidem effectu, ut apellationi postea non sit locus, nec instrumenta noviter reperta, aut perjurii prætextus illud valeant rescindere, de quibus separatim infra.

Primo igitur hic quærendum est, an in Jurejurando Necessa-

rio à subsecuta judicis sententia recte appelletur? quod negatur; *l.* 12. §. 3. *C. h. t.* ubi sic legitur, *nimis est crudele, ipsi parti, quæ hoc detulit, propter hoc ipsum, quod judex ejus petitionem est secutus, superesse provocationem:* & *in fin.* §. 1. *ibid. quis ferendus est ad appellationis veniens auxilium in his, quæ ipse facienda procuravit.* Adeoque deferens, si ei jusjurandum referatur, cogitur omnino jurare, aut est condemnandus; sed si is, cui hoc delatum est, justam recusandi caussam habuerit, & nihilominus à judice pro confesso habitus est & condemnatus, salvum ei erit Appellationis Auxilium: *d. l.* 12. §. 2. *C. h. t.* idemque propter luce meridianâ clariora instrumenta noviter reperta, hodie obtinere putat Gronewegen *ad d. l.* alias nihil refert, delatum jusjurandum an quis præstiterit, retuleritve, habet enim, quod sibi imputet Jurisjurandi conditionem se non suscepisse, sed referendo in adversarii juramentum consensisse, cum ea omnis jurisjurandi voluntarii & necessarii sit natura, ut habeat in se tacitam conventionem, *l.* 25 *&* 26. §. *ult. ff h. t. l.* 21. *ff. d. dolo malo.* & quidem conditionalem, nempe, ut Actore jurante Reus solvat, reo contra jurante Actor ab ulteriore persecutione desistat, ita ut Jctus recte in *l.* 2. *ff. h. t.* dicat jusjurandum habere speciem transactionis, à quâ appellari non posse certum est. *l.* 16. *C. d. transact.* & sic etiam negotium jurejurando transactum non retractatur *l.* 31. *ff. h. t. l.* 1. *C. eod.* quapropter in *d. l.* 2. *ff. h. t.* dicitur jusjurandum habere majorem auctoritatem, quam res judicata, quia à re judicata, & sententia appellari potest *l.* 20. *C. d. appell.* at non à jurejurando Judicis Sententiâ confirmato; ne lites per longum trahantur, inextrabilesque fiant; & hic, qui victus est, id ante detulit, vel retulit, adeoque habet, quod sibi imputet. aliud autem in Judiciali, de quo infra, obtinere videbimus.

Secundo quæritur, an jusjurandum ob instrumenta noviter reperta rescindi possit? Quod etiam negandum videtur, ratio est in vi transactionis, quam ob instrumenta nova, non posse rescindi patet ex *l.* 19. *&* 29. *C. d. transact.* quod etiam in jurejurando pari passu in plærisque cum illa ambulante dicendum videtur. *l.* 2. *ff. h. t. l.* 31. *ff. eod* Zoesius *comm. ad Pand. n.* 50. sed si instrumenta, quibus veritas argui potest, dolo adversarii sunt sub-

ſtracta, ut ita Actore in probationibus deficiente transactione aut jurejurando lis decidatur, transactio nulla erit. *arg. l. 19. C. d. transact. l. 65. §. 1. ff. d. condict. indeb.*

Tertio quæritur, an Perjurii prætextu jusjurandum reſcindi poſſit. Quod negatur, quoniam iniquum eſt de perjurio quæri. §. 4. *inſtit. d. except.* & præſumptio veritatis pro jurante militat, ita ut poſt non amplius quæratur, an debeatur, ſed modo an juratum ſit *l. 5. §. 2. ff. h. t.* Præterea in omni Jurejurando, (ut oſtenſum eſt ſupra) tacite ineſt conventio & ſuper lite tranſactio, cujus tanta eſt vis, ut jurejurando præſtito, niſi ſpeciali lege, aut pactione illud excipiatur, ut in *l. ult. C. h. t.* nullomodo, ne perjurii quidem prætextu cauſſa retractari poſſit. *l. 1. C. h. t.* Obſtat dolum hoc admiſſo pejeranti profuturum eſſe: Reſp. ſi dolus ab initio interveniſſe claris, certisque argumentis doceri poſſit, tunc jusjurandum, uti aliam omnem dolo malo initam conventionem doli actione vel exceptione infirmari. *arg. l. 19. C. d. transact. junct. l. 2. ff. h. t.* & perjurium non ſemper dolo, ſed ſæpe errore, vel temeritate committi. Nec obſtat *l. 21 & 22. ff. d. dolo malo.* ubi denegata doli actione perjurii pæna adverſus pejerantem ſufficere traditur. Cui ſic cum Cl. Voet *comm. ad Pand. n. 25. in fin. h. t.* occurri, & ſatisfieri poſſe videtur, nempe, illic agi de jurejurando ab initio bona fide interpoſito, detecto poſtea demum perjurio, cujus cauſſa ibi denegatur doli actio, quia dolus initio non adfuit, & jurejurando negotium transactum eſt, & transactio ob ſupervenientem dolum, modo ab initio deſit, non infirmatur *l. 65. §. 1. ff. d. condict. indeb.* Cæterum in univerſum cauſſam jurejurando voluntario deciſam probato ex novis inſtrumentis adverſarii perjurio, impetrato Reſtitutionis auxilio, hodie retractari poſſe notat Gronewegen *ad l. 1. C. h. t.*

Excipiendi tamen hic quidam caſus, quibus jusjurandum effectu deſtituitur. (1) Si delatum eſt jusjurandum ſuper controverſiâ ex teſtamento orta, de quâ non inſpectis teſtamenti tabulis aliquis juravit, & poſtea ex illis apparet hunc pejeraſſe; quo caſu olim dubitabatur, jurijurando ſtandum, an id, quod datum erat, reſtituendum eſſet, quod Imp. Juſtinianus in *l. ult. C. h. t.* conſtitutione ſuâ decidit, negans illum aliquid ex perjurio ſuo conſecuturum, cum

ma-

major ultimæ voluntatis, quam jurisjurandi ſit ratio: (2) Si quis in fraudem creditorum jusjurandum detulerit debitori ſuo, habent fraudati creditores contra jurisjurandi exceptionem fraudis replicationem *l.* 9. §. 5. *ff. h. t.* (3) Quando Reus Actore deferente juravit *ſe dare non oportere*, dein Actor deferente reo contra *dari ſibi oportere* jurejurando affirmavit, poſterior jurisjurandi cauſſa potior habebitur, nec præjudicium alterius perjurio fiet *l.* 28. §. *ult. ff. h. t.* (4) Effectum non ſortitur jusjurandum, quando aliquis ſibi deberi rem, quæ non eſt in rerum natura, juravit *l.* 30. §. 1. *ff. h. t.*

Judicialis Jurisjurandi effectus eſt, ut illud à judice alterutri partium delatum, & ab illa præſtitum vicem probationis obtineat, & ſecundum eum, qui juravit, ſententia feratur. *l* 31. *& l.* 11. §. *ult. ff. h. t.* ex qua deinceps actio & exceptio rei judicatæ competit, ita tamen, ut ab illa appellari poſſit. *l.* 20. *C. d. appell.* ut ſi quis jusjurandum à judice delatum recte recuſaverit, vel adverſarius ejus ex delatione Judicis contra illum juraverit, & ſic abſolutus fuerit, dabitur ei provocationis auxilium, quum hoc jusjurandum non habeat ſpeciem transactionis, adeoque dicta ratio ceſſet. *l.* 12. §. 2. *C. h. t. l.* 31. *ff. eod.* Quin etiam ob nova inſtrumenta reperta ex Conſtitutionibus ſententia eſt nulla, & ex integro agi poteſt, modo his ſolis quis ſe uſurum promittat. *d. l.* 31. *ff. h. t.* Quod præcipue locum habet, ſi ob deficientes Actoris probationes reus eſt abſolutus, quo caſu magis ab inſtantia, quam tota lite videtur facta abſolutio *l.* 2. *C. ſi ex falſ. inſtrum.* & hoc in jurejurando Judiciali eſt ſingulare, cum alias prætextu novorum inſtrumentorum negotia reſcindi non ſoleant *l.* 35. *ff. & l.* 4. *C. d. re judicata.*

Ultimo loco adhuc quærendum reſtat, utrum tantum jure divino, an etiam jure civili perjurium fuerit coërcitum? Quamquam illud verum ſit nullâ olim publicorum judiciorum lege perjurium apud Romanos fuiſſe vindicatum, tamen non prorſus impunitum fuiſſe ſatis undique apparet: ſic Perjuros aliquando infamia juris notatos videmus *l.* 41. *C. d. transact.* etiam extra ordinem fuſtibus caſtigatos. *l.* 13. §. *ult. ff. h. t.* ut non immerito ad extraordinaria crimina referri videatur. Aliquos etiam dignitate privatos videmus, *l. pen. C. d. dignit.* teſtes quoque perjuros fuiſſe punitos apparet ex *l.* 13. *C. d. teſtib.* Nec obſtat *l.* 2. *C. h. t.* junct. *l.* 2. *C. ad*

l. Jul. Majest. ubi dicitur, quod *Jurisjurandi contempta religio satis Deum Ultorem habet.* illic enim tantum agitur de jurejurando animi quodam calore per Principis venerationem facto, per quam si pejeratum est, corporis periculum, aut majestatis crimen inferri Imp. Alexander vetat, quasi hoc non ad animum revocans, sed divinæ vindictæ relinquens, uti Imp. Tiberius cuidam Rubrio Principis nomen perjurio lædenti fecit, dicens *hunc, quasi Jovem fefellisset, habendum, & Deorum injurias Diis Curæ esse.* Tacit. 1. *Annal.* sed ibi Imperator non dicit perjurium nullo modo extra ordinem puniri posse, neque debere, adeoque hoc non indistincte ad omne jusjurandum extendendum videtur; nec etiam sanctitati & religioni Romanorum congruum est existimare, perjurii scelus extra omnem legis pænam fuisse. Sed quod attinet Mores hodiernos, si perjurium clare probari possit, non infrequens est digiti vel digitorum amputatio, quibus in cælum elevatis perjurium præstitum est: & notat Gronewegen *ad l. 2. C. h. t.* Commissa in judicio hodie perjuria arbitrariâ judicis pæna, vel pro locorum statutis diversimode puniri. Hæc de dolo malo commissis dicta sunto, cæterum si quis errore, dolove alterius inductus pejeraverit, & innocentia aperte doceri possit, talis in foro humano absolvendus videtur: Ant. Matthæus *d. Criminib. lib. 47. tit. ult. cap. 1.*

Hæc pro modo Disputationis mihi propositæ sufficere videntur, multa adhuc dici potuissent, sed quæso, ut Benevolus Lector omissa suppleat, male posita corrigat.

F I N I S.

C O R O L L A R I A.

I. *Pater impuberi exheredato recte tutorem dat.*

II. *Mulier SCto Vellejano ordinarie renunciare non potest.*

III. *Creditor in pignore non præstat plus, quam culpam levem.*

IV. *Periculum rei venditæ, necdum traditæ pertinet ad emptorem.*

F I N I S.

TER EEREN VAN DEN
HEER
JACOB OCKERSSE,

Tot Meester der beide Regten ingehuldigt.

WIe kan naar maat uw gaaven melden,
En voeren met verheven sin
Uw lof en deugt ter sterren in,
By 't keurgetal der Letter-helden?
Ik vind myn toon hier veel te laag,
Om naa uw roem met lof trompetten
Een lauwer U op 't Hooft te setten,
Verdient door neerstigheid gestaag.
Minerva sal haar fiere knechten
Wel senden, om haar pligt te doen,
In 't haalen van een hand vol groen,
Om rondom uwe kruin te vlechten
Een frische kroon van Lauwerblaan;
Terwyl gy nog staat in verlangen,
Om nu getuigenis t'ontfangen,
Wat gy door vlyt reeds hebt gedaan.
Nu hebt gy eerst uw wit verkreegen,
Door 't schenken van het Meesterschap,
Waar door gy met een groote stap
Syt uwe Maagdschap naa gesteegen.
Een Maagdschap, die aan 't roer van Staat
Al lange jaaren heeft geseeten,
En sig roemrugtig heeft gequeeten,
Ook in 't Raadsheerelyk gewaadt.

Hier

Hier toe hebt gy 't begin genoomen,
Door het verkrygen van 't Vroedschap;
My dunkt dit 's reeds een hoogen trap,
Om tot soo hoogen op te koomen.
Want siet de Nyd is niet gesint,
Om U nog agter naa te streeven,
Naadien gy door uw minsaam leven,
En door uw heuscheid word bemind.
Had ik maar geest en kunst in 't singen,
Ik weide dieper in uw Roem,
U noemde ik hier van regt de Bloem,
Of een der regte Opspoorelingen.
Dit sal nu uw geboorte Stadt
Tot uwen Lof haast ondervinden,
Wanneerse aan U tot vreugt der Vrinden,
Sal krygen een soo dierbren schat.
Daar moet dan uw geluk volgroejen,
Soekt daar ook voor en Stad en Staat,
Als hnnne trouwe toeverlaat,
De tweedragt uit het hert te roejen.
Groeit daar in bloei door uw verstand,
In weetenschap van 't regt ervaaren:
Ik wensch myn Vriend een reeks van jaaren.
Tot Stut en Suil van Stad en Lant,

J. V. ALPHEN.

S. S. Th. S.